



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. IV. Corollaria præcedentis doctrinæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

quam generalem ordinis supernaturalis, non pertineat affectio finis particularis ipsius creaturæ rationalis, qui est vita æterna; ad illam tamen pertinet affectio finis generalis ipsius provisoris, qui est manifestatio suorum attributorum, & ostensio suæ justitiæ. Quare D. Thomas supra quæst. 19. art. 6. docet quod *Cum voluntas Dei sit universalis causa omnium rerum, impossibile est quod divina voluntas suum effectum non consequatur. Unde quod recedere videtur à divina voluntate, secundum unum ordinem, relabatur in ipsam, secundum alium. Sicut peccator qui quantum est in se recedit à divina voluntate peccando, incidit in ordinem divine voluntatis, dum per ejus justitiam puniatur.*

§. III.

Corollaria præcedentis doctrina.

89. **E**X dictis colliges primò, providentiam Dei ab ejus scientia practica distingui, per hoc quod scientia practica est de fine & mediis; providentia autem solum de mediis, quatenus ordinantur ad finem. Ita expressè docet D. Thomas quæst. 5. de verit. art. 1. in corp. his verbis: *Scientia communiter se habet ad cognitionem finis, & eorum que sunt ad finem; per scientiam enim Deus scit se & creaturas, sed providentia pertinet tantum ad cognitionem eorum que sunt ad finem, secundum quod ordinantur in finem.*

90. Colliges secundo, Dei providentiam ab ejus arte distingui. Ita idem S. Doctor ibidem in respons. ad 9. ubi ait: *In rebus potest considerari duplex ordo, unus secundum quod egrediuntur à principio, alius secundum quod ordinantur ad finem.* Et subdit, quod ars respicit res productas primo modo, & secundum quod egrediuntur à principio, & inter se invicem collocantur: artifex enim ex vi artis diversimodè collocat partes ædificij; providentia autem illas respicit secundo modo, & importat ordinem rerum secundum quod ordinantur in finem. Et in corpore ejusdem articuli docet quod ars est recta ratio factibilium, id est eorum quæ ab agente procedunt in extraneam materiam, v. g. scammum & domum: providentia autem est recta ratio agibilium, quæ sunt actus non progredientes ad extraneam materiam, sed perfectentes ipsum agens, sicut castè vivere, & patienter se habere. Unde cum agibilia à factilibus differant, manifestum est, prudentiam in Deo ab ejus arte distingui, & consequenter providentiam quæ est pars prudentiæ.

Adde quod perfectio artis consistit in judicando, perfectio autem prudentiæ, in imperando, ut docet idem S. Doctor 2. 2. quæst. 47. art. 8. & probat à signo: nam melior artifex reputatur qui volens peccat in arte, voluntariè devians à judicio quod habet de artefacto faciendo, quam qui nolens peccat ex defectu judicij. In prudentia autem è converso contingit, est enim imprudentior qui voluntariè peccat ab arte devians, habens scientiam & judicium perfectum, quam qui nolens peccat ob imperitiam artis, eo quod ille deficiat in imperio, iste verò in judicio: quæ doctrina est Philosophi 6. Ethic. cap. 3.

91. Colliges tertio, Dei providentiam non esse idem ac legem æternam: in quo decipiuntur quidam ex nostris Thomistis, qui oppositum sentiunt: nam D. Thomas quæst. 5. de verit. art. 1. ad 6. expressè docet, quod providentia in Deo propriè non nominat legem æternam, sed aliquid

A consequens ad illam: quod probat, quia lex æterna consideratur in Deo, sicut in nobis accipiuntur principia operabilium, ex quibus ad consiliandum, eligendum, & imperandum procedimus. Ergo sicut principia operabilium naturaliter nota, non sunt in nobis providentia, aut prudentia, sed principium illius; non aliter ac principia speculabilia non sunt scientia, sed scientiæ causa; ita lex æterna in Deo non est prudentia, aut providentia formaliter, sed principium illius; unde colligit D. Thomas effectus providentiæ attribui legi æternæ, tanquam ejus principio. Ubi est advertendum, loqui D. Thomam de lege æterna, secundum quod est ratio gubernationis rerum sive rationalium sive irrationalium: in qua acceptatione verissima est ejus doctrina, & discrimen statutum, sic intelligendum, quòd sicut lex in nobis tradit regulas in generali, v. g. diligendum esse Deum, parentes honorandos &c. juxta quas regulas prudentia hinc & nunc colligit esse operandum. Ita lex æterna in Deo tradit generales regulas, v. g. lapidem deorsum, ignem sursum inclinari: providentia verò juxta illas regulas de motibus illorum in particulari disponit, & ideo providentia legem æternam habet pro principio.

Confirmatur: Lex æterna, ut est propriè lex, non est Deo imposita, sed creaturis; nec consistit in imperio monastico respiciente actiones Dei, sed in imperio regali subditos respiciente, ut docent Theologi cum eodem S. Doctore 1. 2. quæst. 93. At providentia consistit in imperio monastico, & immediatè respicit actum Dei liberum, qui dicitur usus, & mediatè executionem, ut constabit ex dicendis in Tractatu de prædestinatione. *Disp. 11. art. 3.* Non ergo sunt idem formalissimè providentia, & lex æterna.

Colliges quartò, providentiam distingui ab ideis divinis. Ita etiam S. Thomas loco citato de verit. in resp. ad 1. ubi ait: *In re creata duo possunt considerari: scilicet ipsa species ejus absolute, & ordo ejus ad finem, & utriusque forma præcesit in Deo. Forma ergo exemplaris rei secundum suam speciem absolute, est idea; sed forma rei secundum quod est ordinata in finem, est providentia.* Et subdit: *Quamvis idea possit pertinere ad speculativam cognitionem aliquo modo, tamen providentia tantum ad practicam pertinet, eo quod importat ordinem ad finem.* Et in hac parte quæst. 15. art. 2. ad 2. docet quod idea ab arte distinguitur, quia hæc significatur ut quo Deus intelligit, idea verò ut quod intelligitur: At etiam providentia significatur ut quo Deus practicè intelligit: Ergo illa etiam à divinis ideis virtualiter distinguitur.

Colliges ultimò, Dei providentiam distingui virtualiter, saltem inadæquatè, à potentia Dei executiva, quæ res ad extra producit.

E Probatur: Potentia Dei executiva est scientia ejus practica, seu approbationis, producens res ad extra per actum imperij, ut ostendimus Tractatu præcedenti: Sed providentia Dei, ut jam vidimus ex D. Thoma, virtualiter, saltem inadæquatè, distinguitur ab ejus scientia practica: Ergo & ab ejus potentia executiva. Dixi, saltem inadæquatè, quia actus imperij quo Deus res ad extra producit, duo munia inadæquata includit, scilicet munus dirigendi, & exequendi; & sub prima ratione pertinet ad providentiã, quæ habet res dirigere seu ordinare in finem; sub alia spectat ad scientiã Dei practicã, quæ in Deo habet rationem

potentia executiva. Quare D. Thomas loco citato de verit. in fine corporis articuli ait: *Actus potentie presupponit actum providentie sicut divigentis: unde in providentia non includitur potentia, sicut voluntas.* Id magis constabit ex dicendis Tractatu sequenti, ubi actus ad prædestinationis negotium pertinentes discutimus, & præcipua discrimina quæ intercedunt inter providentiam Dei generalem, & prædestinationem, quæ est specialis providentia, quæ creatura rationalis ad æternam beatitudinem efficaciter ordinatur, exponemus.

95. Querit D. Thomas hic art. 3. an Deus immediate omnibus rebus provideat? Et respondet quod ad providentiam duo pertinent, scilicet ratio ordinis rerum provifatum in finem, & executio hujus ordinis, quæ gubernatio dicitur. Et subdit, quod quantum ad primum, Deus immediate omnibus prævidet, cum in suo intellectu habeat rationes omnium rerum etiam minimarum; non verò quantum ad secundum, sed inferiora gubernat per superiora; non propter defectum suæ virtutis, sed propter abundantiam suæ bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communit.

Id magis explicat & confirmat 3. contra Gent. cap. 77 ex differentia quæ est inter Dei providentiam, quatenus ordinat, & eandem, quatenus exequitur eundem ordinem; *primum enim (inquit) fit per virtutem cognoscitivam, secundum per virtutem operativam: hæc autem ita se habent, quod tanto perfectior est ordinatio, quanto perfectior virtus cognoscitiva, & quanto magis ad minima descenditur: minimorum autem executio concedit inferiorum virtutem effectui proportionatam: in Deo verò quantum ad utrumque summa perfectio est, in eo enim est perfectissima sapientia ad ordinandum, & perfectissima virtus ad operandum: oportet igitur quod ipse per sapientiam omnium ordines disponat etiam minimorum, exequatur verò minima, sive infima, per alias inferiores virtutes, per quas ipse operatur, sicut virtus universalis & altior, per inferiorem & particularem virtutem: Ergo convenientissimum est, quod Deus res per seipsum disponat & ordinet, illam tamen dispositionem per causas inferiores exequatur, & quibusdam utatur creaturis, ut alias regat & gubernet. Unde substantiis intellectualibus utitur in gubernatione rerum corporalium, & inter substantias corporales, inferiora hæc & subblunaria, reguntur per corpora cælestia; homo verò, quia medium tenet inter creaturas merè spirituales & corporales; ut spiritualis & cognoscitivus, subjicitur Angelis à quibus illuminatur; ut corporeus verò, & in actionibus corporeis subditur corporibus cælestibus, & ab eorum influentiis dependet; quatenus verò liber, & agens voluntarium, ac sui ipsius dominus, nulli rei creatæ subjicitur, sed soli Deo, cujus providentiæ ejus motus voluntarij & liberi immediate subduntur, ut docet S. Thomas 3. contra Gent. cap. 90.*

96. Nec solum in ordine naturæ Deus regit creaturas inferiores per superiores, sed etiam in ordine gratiæ; quod ex duplici capite provenit. Primò ex ipsa Dei providentiâ, quæ ut perfectissima est, convenientissimum etiam ordinem rebus tribuit: sic autem res convenientissimè ordinantur, quando perfectio unius cedit in bonum imperfectioris, & excessus illius quæ perfectior est, redundat in utilitatem ejus quæ minus est perfecta: *Perfectio divina providentiæ (inquit D. Thomas)*

Tom. I.

A requirit ut excessum aliquarum rerum supra alias ad ordinem convenientem reducat: hoc autem fit, cum ex superabundantia aliquorum magis habentium, provenit aliquod bonum minus habentibus. Secundo id provenit ex ipsa perfectione rerum, cum enim bonum sit sui diffusivum, ex Dionysio 4. de divinis nominibus, quò est res aliqua melior, eò est magis diffusiva sui. Item quò res aliqua est melior & perfectior, eò est Deo similior: Deus autem totus est sui diffusivus: Ergo quantum aliqua agentia magis in participatione divinæ bonitatis constituuntur, tantò magis perfectiones suas nituntur in alios transfundere, quantum possibile est. Unde Beatus Petrus monet eos qui divinam bonitatem per gratiam participant, ut eam in alios, quantum fieri potest, transfundant: *Vnusquisque (inquit) sicut accipit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Ex quo infert D. Thomas infra quæst. 106. art. 4. quod *Sancti Angeli qui sunt in plenissima participatione divinæ bonitatis, quidquid à Deo percipiunt, subjunctis impertiuntur.* Ex hoc etiam constat, quod intra ordinem gratiæ, Christus Dominus, ut Deo propinquior (cum Deus sit) in totum ordinem illum influit, neque enim aliquis participat gratiam aliquam, quam ex ejus meritis non possideat; & sancti quò Christo sive Deo sunt propinquiores, ut Beatissima Virgo, Apostoli, fundatores Ordinum &c. eò magis influunt in alios.

ARTICVLVS III.

An Deus suâ infinitâ Providentiâ, omnes nostras bonas operationes ab æterno prædefiniat, & prædeterminet?

§. I.

Quibusdam præmissis, sententia affirmativa ut vera eligitur.

97. Notandum primò, duplex solere distingui decretum à Theologis, unum positivum, quo Deus vult positivè aliquid esse, & aliud permissivum, quo sinit, vel permittit aliquid fieri. Ut enim dicit Augustinus in Enchirid. cap. 95. *Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* De hoc secundo decreto non loquimur in præsentia, quia non agimus hic de actibus malis & peccaminosis, quos Deus solum permittit, sed de bonis operibus, quæ positivè vult, & decernit, ac per scientiam approbationis cognoscit.

98. Notandum secundo, quòd quando queritur, an divina providentia actus liberos voluntatis creatæ prædefiniat, & prædeterminet? particula præ duplicem potest importare, vel designare prioritatem. Unam durationis & temporis: alteram naturæ, seu causalitatis. De prima, nulla est difficultas, vel controversia: constat enim, ab æterno, & ante omnia tempora, dispositionem de rebus faciendis fuisse in mente divina. Nam *elegit nos ante mundi constitutionem*; ut ait Apostolus: *& ante secula decrevit, qualiter per secula disposuit*, inquit Gregorius in moralibus. Tota ergo controversia devolvitur ad secundum genus prioritatis, an scilicet dentur in Deo decreta, quæ prioritatem naturæ & causalitatis

§. Ij